

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0647

Sabato 05.09.2015

## Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale al V Congresso Eucaristico Nazionale di Bolivia (Tarija, 16-20 settembre 2015)

Il 21 agosto scorso è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Daniel Fernando Sturla Berhouet, S.D.B, Arcivescovo di Montevideo (Uruguay), come Inviato Speciale del Santo Padre al V Congresso Eucaristico Nazionale di Bolivia, che sarà celebrato a Tarija dal 16 al 20 settembre.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Don Diego Luis ESPAÑA GONZÁLEZ, Vicario Generale della diocesi di Tarija;
- Rev.do Don Pablo César ALCOBA MIRANDA, Parroco della parrocchia *Nuestra Señora de Pilcomayo* a Yacuiba e Vicario Episcopale della diocesi di Tarija.

Pubblichiamo di seguito il testo della Lettera di Papa Francesco al Cardinale Sturla Berhouet:

### Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

DANIELI FERDINANDO S.R.E. Cardinali STURLA BERHOUET, S.D.B

Archiepiscopo Metropolitae Montisvidei

Mente memoriaque ad apostolicum Nostrum iter in caram terram Boliviae repetentes, singulari modo Deo gratias agimus de celebratione Eucharistiae in Platea Christi Redemptoris, in urbe Sanctae Crucis de Sierra, qua sollemni modo inauguravimus V Congressum Eucharisticum Nationalem Boliviae qui Tariiae proximo mense Septembri celebrabitur. Agitur de tempore orationis, meditationis atque eucharisticae renovationis, in quo peculiare pondus Sacramenti caritatis in vita et opera uniuscuiusque credentis clare demonstratur. Nosmet Ipsi, Qui diligentissimam damus operam ut eucharistica in Dei Populo fides vividior usque fiat, libentes precibus

Nostris Congressum comitamur omnes eius participes misericordi Deo concedentes.

Huius Congressus opportunitate data Venerabilis Frater Ansgarius Odemarus Aparicio Céspedes, Archiepiscopus Metropolita Cochabambensis atque Conferentiae Episcoporum Boliviae Praeses, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum destinarem qui Nostro Nomine huic Congressui praeesse valeat. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui, Ecclesiam Montisvidei per semitas Evangelii studiose ducens, aptus omnino videris ad huiusmodi munus congruenter explendum.

Idcirco harum Litterarum vi Te ipsum designamus **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM**, mandatis Tibi factis, ut diebus XVI-XX proximi mensis Septembris Tariiae sacris celebritatibus Nostro nomine praesideas atque Nostros pastorales sensus fidelibus ibi congregatis humaniter renunties. De Eucharistia loqueris atque omnes adhortaberis ad spiritalem vitam per eam renovandam, fontem scilicet cuiusque formae sanctitatis.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, Sacrorum Antistitem Tariiensem ceterosque Praesules et fideles qui Congressum participabunt salutamus, precibus Nostris eos comitamur atque Deum omnipotentem obsecramus ut omnes credentes in Christum, materno praesidio Beatae Mariae Virginis suffulti, praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius servare pergant.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis ibi adstantibus transmittendam, dum a vobis preces expostulamus, ut pergrave Petrinum munus secundum divinam voluntatem diligenter exercere valeamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIII mensis Augusti, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[01405-LA.01] [Testo originale: Latino]

---